

cabulum quod incuria librariorum excidit, reposuimus. Huius autem hæreseos dogma recenset Augustinus, quod utrem inflatum & opertum circumferendum putant iis, qui ex Christi præcepto legitime sanctum Euangelium prædicare velint, abusi sacro Dei verbo quod est apud Matth. 9. versu 17. & fortasse illo militum Gedeonis exemplo, quod extat in libro Iudicum cap. 7. versu 16. Sed ineptissime. Quid enim fiet, si ea quæ *Ἐγγελοῦ* Christi continent, omnia usurpemus? Oportebit nos habere lampades ardentis in manibus nostris, eas circumgestare, lumbos etiam in suggestu præcinctos, & alia penè infinita, quæ nos simias potius & ridiculos histriones, quàm graues verbi Dei concionatores demonstrabunt. Itaque insulsa, absurda, & nulla vel probabili ratione fulta fuit hæc hæresis. Sed tãti est, verum & genuinum Scripturæ sensum diligenter obseruasse.

CAP. LXIII.

Pattalorinchitæ cur sic dicti. Error eorum
ecquis fuerit.

Pattalorinchitæ, intantum silentio student, ut naribus, & labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam² taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur. Vnde etiam illis nomen est inditum. Πάταλος enim Græcè dicitur palus, & δάκτυλος & nasus. Cur autem per palum digitum significare maluerint, à quibus nomen hoc compositum est, nescio, cum Græcè dicatur digitus δάκτυλος, & possint vique Dactylorinchitæ multo euidentius nuncupari.

z. ii.